A proprietate succus Astaci vnius contusi,& expressi in vino bono datus singulis mēsibus semel vel bis, fœtum nunquam abortiuum nasci sinit, nisi externa vi impellatur. Sic sal Astacorum fluuiatilium dextre paratus, & singulis septimanis cum amygdalarum dulciū decocto in vino maluatico maceratus, sumtus mirabiliter fœtum conseruat. Dos. gr. iij. iiij. v. & c. (vinum ne bibant, pellit nimirum fœtum.)

PARTVS DIFFICILIS.

In partu difficili, lt. secundinatū eductione inter reliqua præstat specificum ex secundinis, de quo supra. lt. oculi leporis in Martio capti (valet etiam in mola, modo de ea constet) qui studiose eximendi ne comprimātur nimis, cumque pipere in orbe exsiccandi. Horum vnus Vertici cum pipere ita alligetur, vt vertex à pupilla tangatur & fœtum siue mortuum siue viuum educet, quo facto mox amoueatur, ne vterum planè propellat.

Sic oleum succini & Carui an. gutt. iij. iiij. v. vj. vij. viij. in vino exhibitæ partum accelerant.

Apud pauperes vidi partum sæpe difficilem solui haustu vrinæ mariti.

Sic stercus equinum in vino expressum & percolatum subito fœtum & secundinam expellit.

IMPOTENTIA.

In impotentibus nobilis est Essentia Satyrionis Croll. in primis si illi addatur Ambra essentificata & aurum potabile Anglicum, verbi gratia liquoris satyrionis ℥j,

ambræ essentificatæ ʒij,

Auri potabil. ℈j.

Detur à ℈ß ad ℈j pro vna dosi. Hæc & similia in-

terdum materiam tam fortem reddunt, vt simul anima cum vita expulsa fuerit, omne nimirũ nimium naturæ inimicum.

Valet quoq; diatrion pipereon tabulatum, si illi admisceantur aliquot grana ambræ & olei Cinamomi. Vide suprà de extincta Virilitate.

ARTHRITIS.

Arthritis seu articulorum dolor est instar matris plures ex se generans natas, in specie podagram, Chiragram & Ischiaticam.

In Arthritide interdum est vniuersalis omnium articulorum dolor cum summa inquietudine; in cæteris particulares dolores externarum partium, manuum in Chiragra, pedum in podagra, coxendicis in Ischiade.

Horum omnium vniuersalis cura consistit in consumptione vel etiã expulsione tartari in toto corpore humano stabulantis. Cuius curæ mentionem fecimus suprà in ludi humani præparatione, cuius facultates mirabiles sunt in tartaro expellendo vel consumendo.

Hæc itaq; cura vnice instituenda est, nec tamen quouis tempore aut promiscue in singulis subiectis, nisi prius omnia probe fuerint considerata. Itaq; hæc cura vniuersalis paroxysmos non tollit, nec leuiter etiam affectos extra alia medicamenta curat: oportet igitur vt aut ante insultus, aut post eosdem (non in paroxysmo) quiescentibus scilicet & in suis matricibus quasi dormientibus ex allatis antea principiis cura instituatur & tartarus resoluatur. Sic nimirum felicius successerint omnia.

Eiusdem curæ prophylacticæ simili modo cum lapidi-